

# Kazimierz Nasiłowski

---

## De potestate sacerdotali secundum Gratianum

---

Prawo Kanoniczne : kwartalnik prawno-historyczny 21/1-2, 61-86

---

1978

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

KAZIMIERZ NASIŁOWSKI

**DE POTESTATE SACERDOTALI SECUNDUM GRATIANUM**

(*continuatio*)

Titulus secundus

**DE REGULA RIGORIS DISCIPLINAE SERVANDI  
NONNUMQUAM EX DISPENSATIONE MISERICORDIAE  
RELAXANDI AD AMBITUM NON SACRAMENTALEM SPECTANTI**

Caput primum

**De sanctionibus etiam illis severissimis ope regulae rigoris  
disciplinae moderandis**

**I. De oppositione inter sententiam Augustini et Anastasii  
et opinionem Gratiani regulae rigoris disciplinae fundata**

Distinctio inter potestates in variis sacramentis administrandis alio atque alio modo in sacerdotes convenientes, imprimis autem distinctio potestatis ex consecratione sacerdotali vel episcopali provenientis in sacramentalem ordinis potestatem et potestatem non sacramentalem variis nominibus a Magistro vocatam, ut *executio potestatis distribuendi sacros ordines, executio officii, et effectus potestatis acceptae sacramento tenus*, in fundamento oppositionis inter opinionem Gratiani et sententiam Anastasii Papae II atque Augustini a Magistro peractae sunt<sup>1</sup>.

De distinctionibus his agentes ex thesi Gratiani in dicto posita p.c. 96 C. I q. 1 allato: „Quod uero per hereticos sacramenta dignitatis ministrata dicuntur carere *effectu...*” et ex variis enuntiatis, quibus Magister suam thesin vel immediate probat, vel in quibus ea refert, quae ad eam probandam logice pertinent, praesertim ex amissibilitate executionis, quae vocatur, et ex amissibilitate effectus potestatis sacramento tenus acceptae, nomina haec promiscue usurpata et verbo *effectus* in thesi Gratiani comprehensa potestatem ecclesiasticam eamque amissibilem significare animadvertimus.

<sup>1</sup> Dictum Gratiani p. c. 96 C. I q. 1; Inscriptio c. 97 C. I q. 1, et § 2 dicti Gratiani post hanc auctoritatem.

Deinde ut ex sacramento ordinis, sic ex sacramentali eiusdem potestate non adimendis, neque amittendis, neque minuendis a Gratiano instar regulae cuiusdam principalis agnitis Magistrum omnes auctoritatum Decreti sanctiones, illas quoque severissimas in quosvis sacerdotes latas tantum ad sacramenti gratiam et potestatem sacerdotalem non sacramentalem eamque amissibilem, non vero ad ipsum ordinis sacramentum sacramentalemve eiusdem potestatem inamissibilem spectare tenuisse concludimus.

Haec conclusio etiam regulae rigoris disciplinae servandi interdum ex dispensatione misericordiae relaxandi a Gratiano agnita, quae in auctoritatibus Decreti multum valet et tantum ad disciplinam ecclesiasticam, i. e. sive ad corporis animique dotes sive ad clericorum praerogativas non sacramentales, velut ad potestatem non sacramentalem, non vero ad ipsum validum vel invalidum ordinis sacramentum eiusque sacramentalem potestatem spectat, comprobari potest.

Gratianus in principio et in § 1 dicti p. c. 97 C. I q. 1 sententiam Augustini de sacramentis haeticorum in se validis, inanibus vero ratione effectus, i. e. gratiae sacramentalis eis ablatae exposuit. Deinde in § 2 eiusdem dicti Augustino ex similitudine baptismi et ordinis de potestate ordinationis ab haeticis collatae iudicanti aliam in sacramento baptismi, aliam vero in sacramento ordinis potestatem insitam esse affirmans contradixit. Porro in § 3 eiusdem dicti Magister hanc suam opinionem ope distinctionis inter sacramentalem ordinis potestatem et potestatem non sacramentalem peractae atque exemplis illustratae probavit. Denique in § 4 eiusdem dicti Gratianus ita scribit: „De his ergo, qui accepta sacerdotali potestate ab unitate catholicae ecclesiae recedunt, loquitur Augustinus, non de illis, qui in scismate uel heresi positi sacerdotalem unctionem accipiunt; alioquin esset contrarius Chalcedonensi concilio, in quo ordinati a symoniacis in nullo proficere iudicantur, et Innocentio, qui ordinatos a ceteris hereticis per prauam manus inpositionem solam dampnationem et uulnus capitis assecutos testatur.”

Gratianus tantum opinionem Augustini in C. I q. 1. c. 97 relata auctoritatibus concilii Chalcedonensis et Innocentii contrariam intelligi posse hic affirmat, et quomodo auctoritatibus his concilianda sit, ostendit. At sive ratione similitudinis sententiae Anastasii Papae II in D. XIX c. 8 relatae cum opinione Augustini, quam supra diximus, sive ratione similis obiectionis ex utraque hac sententia contra opinionem Gratiani in dictum p. c. 96 C. I q. 1 et in inscriptionem c. 97 C. I

q. 1 introductae<sup>2</sup>, etiam de sententia Anastasii idem ac Augustini opinione Magistrum tenuisse concludendum est. Ad quod probandum imprimis opinio Gratiani de Anastasii Papae II sententia examinanda est.

Augustinus in C. I q. 1 c. 97 ut in baptismo, sic in ordinatione ab haereticis collata „ius dandi” esse affirmat, nam „sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra, quia in precisione fuerat uicium (quod unitate pacis est correctum), non in sacramentis, que ubicumque sunt ipsa sunt<sup>3</sup>.” Qua de causa Doctor ille Ecclesiae ordinationem ab haereticis collatam tantum ratione eorundem ab Ecclesia separationis, non vero ratione potestatis non sacramentalis eis ablatae, inanem esse tenere existimari possit. Cui sententiae Augustini ita interpretandae Magister in § 4 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positi et supra relati auctoritatem concilii Chalcedonensis, in qua „ordinati a symoniaci in nullo proficere iudicantur”, et auctoritatem opponens Innocentii, qui ceteros haereticos in ordinatione extra Ecclesiam accepta „sola damnationem et uulnus capitis assecutos testatur”, repugnat.

Secundum igitur Gratianum simoniaci effectum suae ordinationis, i. e. gratia sacramentali et administratione officiorum sacerdotalium, congruenter cum significatione nomini effectus a Gratiano imposita et supra explicata, penitus privati esse statuuntur.

Cum autem simoniaci duplici suae ordinationis effectum, quem supra diximus, hanc ob causam carere a Gratiano intelligantur, quod a concilio Chalcedonensi in nullo proficere iudicantur, i. e. eo ipso damnati sunt, Innocentius vero ceteros haereticos per pravam ordinis collationem solam damnationem assecutos esse affirmat, sequitur, ut sive simoniaci, sive ceteri haeretici, quia damnati, utroque ordinationis suae effectum carere iudicati sint.

In dicto autem p. c. 7 D. XIX posito Anastasius Papa II a Gratiano hac de causa reprehenditur, quod ordinationes ab

<sup>2</sup> Dictum Gratiani p. c. 96 C. I q. 1: „Quod uero per hereticos sacramenta dignitatis ministrata dicuntur carere effectum, inprobatur auctoritate Anastasii Papae, qui ordinationem Acacii, quamuis heretici, ita ratam approbat, ut etiam eis, quos post damnationem suam baptizauit, uel ordinauit, in nullo ream personam nocuisse asserat. Sed hoc eum illicite, et non canonice, imo contra decreta suorum predecessorum et successorum fecisse, probat Felix et Gelasius, qui Acacium ante Anastasium excommunicauerunt, et Hormisda, qui ab ipso Anastasio tertius eundem Acacium dampnauit. Unde etiam ab ecclesia Romana repudiatur, et a Deo fuisse percussus legitur in gestis Romanorum Pontificum hoc modo: 'Anastasius (cf. D. XIX c. 9) secundum nationem Romanus, etc.' Require retro in tractatu decretalium epistolarum.”; Inscriptio c. 97 C. I q. 1: „Item obicitur illud Augustini ad Parmenianum de hereticis etiam dampnatis.”

<sup>3</sup> C. I q. 1 c. 97 § 2 et § 3; vide supra, pag. [9—10].

Acacio haeretico post sententiam in eum latam „acceptis offitiis rite fungi debere decreuit”<sup>4</sup>.

Ex eo, quod Gratianus de officiis ab ordinatis ab haeretico damnato acceptis loquatur, efficitur, ut ordinationem ab eiusmodi haeticis collatam ratione sacramenti validam esse teneat.

Ex eo autem, quod Magister Anastasium Papam hac de causa reprehendit, quod iste ordinator ab haeretico damnato officiis rite fungi debere decrevit, ordinator ab haeticis damnatis officiis sacerdotalibus secundum Gratianum fungi non posse, i. e. administrationem horum officiorum ratione huiusmodi damnationis eis interdictam esse patet.

Deinde in dicto p. c. 8 D. XIX allato Gratianus Anastasium rescriptum, quod supra diximus, hanc ob rationem *illicite et non canonice* dedisse affirmat, quod Acacius haeticus iam damnatus seu excommunicatus erat<sup>5</sup>. Similiter in dicto p. c. 96 C. I q. 1 posito Magister opinionem suam de sacramento ordinis ab haeticis ministrato eoque effectu carenti auctoritate eiusdem Anastasii Papae in D. XIX c. 8 relata hanc ob causam improbari affirmat, quod Romanus Pontifex ordinationem ab Acacio haeretico collatam ex toto approbavit cum Acacius iam damnatus seu excommunicatus esset<sup>6</sup>. Haec

<sup>4</sup> Dictum Gratiani p. c. 7 D. XIX: „Hoc autem intelligendum est de illis sanctionibus uel decretalibus epistolis, in quibus nec precedentium Patrum decretis, nec euangelicis preceptis aliquid contrarium inuenitur. Anastasius enim secundus fauore Anastasii imperatoris, quos Acacius post sententiam in se prolatam sacerdotes uel Leuitas ordinauerat, acceptis offitiis rite fungi debere decreuit, ita inquit...”

<sup>5</sup> Dictum Gratiani p. c. 8 D. XIX: „Quia ergo illicite et non canonice, sed contra decreta Dei, predecessorum et successorum suorum haec rescripta dedit, (ut probat Felix et Gelasius, qui Acacium ante Anastasium excommunicauerunt, et Hormisdas, qui ab ipso Anastasio tertius eundem Acacium postea dampnauit), ideo ab ecclesia Romana repudiatur, et a Deo percussus fuisse legitur hoc modo...” — Hanc suam opinionem Gratianus probat auctoritate in D. XIX c. 9 relata (de cuius origine Friedbergius haec notat: Alger. III, 59. (gesta Rom. pontif.) Ex pontificali Rom. recte laudatur ab Ivone Decr. XIV. 40.): „Anastasius II, natione Romanus, fuit temporibus Teoderici regis. Eodem tempore multi clerici se a communione ipsius abegerunt, eo quod communicasset sine concilio episcoporum uel presbiterorum et clericorum cunctae ecclesiae catholicae diacono Tesselonicensi, nomine Fotino, qui communicauerat Acacium; et quia occulte uoluit reuocare Acacium, et non potuit, nutu diuino percussus est.”

<sup>6</sup> Dictum Gratiani p. c. 96 C. I q. 1; vide supra, pag. 83 nota 2. — Correctores Romani ad uerbum „Anastasius” D. XIX c. 9 hanc notam apposuerunt: „Anastasius: Caput hoc habetur quidem tomo secundo conciliorum in uita Anastasii: sed esse omnino confictum, cum ex multis aliis argumentis, tum ex hoc manifeste ostenditur, quod Acacius (sicut Nicephorus lib. 16, c. 12. et Evagrius lib. 3 cap. 18. et seqq., et clarissime Anastasius Bibliothecarius in Chronologia testan-

autem reprehensio in affirmatione Gratiani Romanum Pontificem hoc *illicite, et non canonice* fecisse dicentis<sup>7</sup> consistit.

Quid autem Gratianus Anastasium reprehendens his verbis significaverit, ex ipso eorum contextu non patet. Significatio tamen horum verborum ex alio enuntiato enucleari potest, in quo Magister verba *non canonice* cum verbis *ex intuitu pietatis* comparat.

Gratianus enim ex auctoritate Innocentii Papae I<sup>8</sup> clericos ad ordinandum ab haeticis invitos attractos et statim post eiusmodi ordinationem ad Ecclesiam redeuntes *ex intuitu pietatis* per manus impositionem (quam reconciliatoriam esse alibi demonstravi) satisfactione data atque medicina poenitentiae adhibita plerumque reformari posse concludens simul de damnatione simoniacorum eisque consentientium in auctoritatibus legi, de medicina vero simoniacis eo adhibenda, ut in suis ordinibus reformari possint, expresse non legi affirmat, nisi quod in casu Novatianorum et Donatistarum minorum utique haeticorum *non canonice*, sed *ex intuitu pietatis* usurpatum est.

Deinde Magister simoniacos minores haeticos esse ex eo insinuans, quod orthodoxam fidem tenentes tantum gratiam Spiritus Sancti venalem esse credunt, ex similitudine simoniacorum cum Novatianis in minore eorum haeresi consistenti, id quod in casu Novatianorum usurpatum est, etiam in casu simoniacorum fieri posse, i. e. ut simoniaci, licet *cononice* in ordinibus suis reformandi non sint, *ex intuitu* tamen *pietatis* in iisdem ordinibus reformari seu ad administrationem eorum admitti possint, concludit<sup>9</sup>.

Ut ex his patet, verbo *canonice* rigor disciplinae servandus generali modo impositus, verbis autem *ex intuitu pietatis*

tur) tempore Felicis III obiit, cui successit Gelasius, et Gelasio Anastasius, qui initio epistolae suae et c. 1 ad Anastasium imperatorem, Acacium mortuum iam et ante iudicem Christum una cum Felice ad stare scripsit, ut Gelasius quoque ante ipsum scripserat, et habetur infra 24. q. 2. c. nec quisquam (c. 4). Quomodo ergo potuit Anastasius de eo reuocando tractare, qui iam obierat?"

<sup>7</sup> Dicta Gratiani p. c. 8 D. XIX et p. c. 96 C. I q. 1; vide supra, pag. 84 nota 5 et pag. 83 nota 2.

<sup>8</sup> C. I q. 1 c. 111 — Innocentii Papae epist. ao. 414 scr.

<sup>9</sup> Dictum Gratiani p. c. 111 C. I q. 1: „Tales plerumque ex intuitu pietatis reformat catholicae manus imposito cum satisfactione et medicina poenitentiae; sed damnationem symoniacorum et eorum, qui eis consenserunt, legimus, medicinam uero autenticam ex hac heresi nominatim non legimus, nisi quod, sicut usurpatum est in Nouacianis uel Donatistis, minoribus utique hereticis, non canonice, sed ex intuitu pietatis, ita etiam ex his posse fieri colligimus, ideo etiam, quia aliorum per omnia orthodoxam habent fidem, nisi quod Spiritum sanctum credunt esse uenalem. Et, ut ait B. Augustinus (C. I q. 1 c. 97), heretici cum redierint, qua parte se sciderint ab ecclesia, curentur, qua uero parte adhererint, cognoscantur.”

exceptio ex hac generali regula canonica in dispensatione misericordiae consistens significata est.

Gratianus igitur Anastasium ordinatos ab Acacio haeretico ad officia sacerdotalia in Ecclesia administranda admittentem hoc *non canonice* fecisse dicens Romanum Pontificem hac de causa reprehendit, quod iste eo modo id fecit, ut regulam generalem rigoris disciplinae in receptione clericorum ab haereticis ordinatorum servandi prorsus non curare videatur, non vero hanc ob rationem, quod iste ordinatis ab haeretico officiis sacerdotalibus rite fungi posse decrevit.

Hoc etiam alio modo demonstrari potest. Etenim Gratianus in dicto p. c. 7 D. XIX adiuncto epistolam decretalem Anastasii in c. 8 eiusdem Distinctionis relatam introducens in ea „precedentium Patrum decretis” et „euangelicis preceptis aliquid contrarium” inveniri dicit. In dicto autem post eandem auctoritatem annexo Gratianus Anastasium „contra decreta Dei, predecessorum et successorum suorum” rescriptum dedisse tenet.

Animadvertendum est Leonem Papam in epistola in D. XIV c. 2 relata<sup>10</sup> similibus verbis usum esse: „Sicut quaedam sunt, quae nulla ratione conuelli possunt, ita multa sunt, quae aut pro necessitate temporum (nota Friedb.: rerum: orig.), aut pro consideratione etatum oporteat temperari; illa conditione seruata, ut in his, quae uel dubia fuerint aut obscura, id nouerimus sequendum, quod nec preceptis euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inueniatur alienum.”

Cum autem Gratianus Anastasii epistolam euangelicis praeceptis et Patrum decretis contrariam esse tenens similibus verbis utatur atque Leo Papa, qui de constitutionibus sive pro necessitate rerum, sive pro consideratione aetatum temperandis disserit, cum deinde Magister hanc Leonis Papae auctoritatem in quaestione de dispensatione impertienda ponat<sup>11</sup> eamque ut exemplum rigoris constitutionis ad tempus relaxandi afferat<sup>12</sup>, Gratianum Anastasium Papam praecepta euangelica et decreta Patrum hanc ob rationem offendere tenuisse, quod iste rigorem disciplinae ecclesiasticae modo generali, licet ad casum particularem coarctato, non vero instar exceptionis ex regula generali rigoris disciplinae servandi relaxavit, concludi licet.

Ex eo autem, quod Anastasius Papa hanc ob rationem a Gratiano

<sup>10</sup> D. XIV c. 2 — Leonis Papae epist. ao. 458 vel 459 scr.

<sup>11</sup> Dictum introductorium D. XIV: „Verum hoc in una eademque persona intelligitur. Ceterum an in diuersis eadem dispensatio locum habeat, uidelicet, ut committamus minora, ne alii grauioribus implicentur, merito queritur.”

<sup>12</sup> Dictum Gratiani p. c. 1 D. XIV: „Consuetudinis autem uel constitutionis rigor nonnumquam relaxatur. Unde Leo Papa ait...”

reprehensus est, quia rigorem disciplinae enervans ordinatos ab Acacio haeretico iam damnato nulla laesionis portione attingi posse generali, non vero exceptionalis modo decrevit, duplex investigationis nostrae obiectum, scilicet enuntiata de clericis damnatis et regula rigoris disciplinae servandi atque exceptiones ex ea satis apparet.

## II. De severissimis sanctionibus in simoniacos latis

Ut constat ex dicto p. c. 8 D. XIX et ex dicto p. c. 96 C. I q. 1 posito, ubi Gratianus Anastasium Papam rescriptum de nulla laesione ordinatos ab Acacio attingenti eam ob rationem illicite et non canonicè dedisse affirmat, quia Acacius haereticus iam damnatus seu excommunicatus erat, et ex inscriptione c. 97 C. I q. 1 cum his dictis comparata, in qua obiectio ex auctoritate Augustini eam ob rationem desumpta esse ostenditur, quod Doctor ille Ecclesiae ordinationem etiam ab haereticis damnatis collatam integram manere tenet, nomine damnatorum etiam excommunicati a Magistro comprehensi esse intelliguntur.

Ex affirmatione autem Gratiani principio dicti p. c. 3 D. XXV positi: „Nunc autem per singulos gradus ordine recurrentes, qui, ex quibus ordinibus, in quem gradum conscendere possint; qui post lapsum ualeant reparari, uel non; quibus culpis a proprio gradu mereantur deici; quo accusante, quibus testificantibus possint conuinci; cuius sententia sint soluendi uel dampnandi, breuiter consideremus” damnatos vel excommunicatos ad administrationem officiorum sacerdotalium nequaquam admittendos esse constat.

Gratianus postquam in dicto introductorio C. I casum posuit episcopi simoniace ordinationem conferentis, qui „apud metropolitanum suum accusatus et conuictus sententiam in se dampnationis accepit” in dicto p. c. 16 C. I q. 1 sanctiones enumerat in simoniacos latis<sup>13</sup> ex auctoritatibus excerptas, quae sunt:

<sup>13</sup> Dictum Gratiani p. c. 16 C. I q. 1: „Quia ergo auctoritate Leonis Papae symoniaci non nisi spiritum mendacii accipiunt; secundum Gregorium apud symoniacos sacerdotium non subsistit, benedictio eorum in maledictionem conuertitur, apud eos manet anathema dandi et accipiendi, cum sancti non sint nec in Christi corpore constituti, cum sint maledicti, nec sanctificare alios possunt, nec Christi corpus tradere uel accipere, nec benedicere aliis ualent; secundum Ambrosium uero anathematis obprobrio condemnantur, atque a participatione corporis et sanguinis Christi alienantur, cum accipiatur aurum et lepra detur, cum inexpiabilis sit culpa uenditi ministerii; secundum Calcedonense concilium ex tali ordinatione nichil proficere iudicantur; secundum Gelasium Symonis dampnatione inuoluuntur; secundum Gre-



Ambrosii (+397): „inexpiabilis sit culpa uenditi ministerii”<sup>14</sup>;

Concilii Chalcedonensis (451): „ex tali ordinatione nichil proficere iudicantur”<sup>15</sup>;

Gelasii Papae (492—496): „Symonis dampnatione inuoluuntur”<sup>16</sup>;

Gregorii Papae (590—604): „apud symoniacos sacerdotium non subsistit”<sup>17</sup>; „benedictio eorum in maledictionem conuertitur”<sup>18</sup>;

---

gorium Nazanzenum in sacro ordine permanere aut reuocari nulla ratione possunt, ab Elizeo lepra perfunduntur, a Petro in perditionem dampnantur, a Christo uero de templo eiciuntur: quid aliud symoniacus symoniaco in sua ordinatione potest conferre, nisi quod Innocentius de ceteris hereticis testatur, dicens (epist. XVIII. ad Alexandrum, cap. 3.)... — Correctores Romani ad huius dicti verba: „non subsistit” hanc notam apposuerunt: „Non subsistit: Simoniaci recipiunt quidem characterem, sed sunt ipso facto suspensi. Ita ratione habita usus vere dici potest ipsorum sacerdotium non subsistere, ac propterea rectissime B. Gregorius 1. 10 epist. 33 Victori episcopo scribens, simoniacam ordinationem vocat illicitam et effectu carentem.”

<sup>14</sup> C. I q. 1 c. 16 — Ambr. in Lc: „Cito turpem sequitur lepra mercedem, et pecunia male quesita corpus animamque commaculat. § 1. Vides, quia facto auctoris successio dampnatur heredis. Inexpiabilis est enim culpa uenditi ministerii, et uindicta gratiae celestis transit in posteros. Denique Moabitae et ceteri non intrabunt in ecclesiam Dei usque in tertiam et quartam generationem, tamdiu uidelicet, (ut simplicius interpretemur), donec culpam auctorum multiplicis successio generationis aboleret. Sed cum illi, qui in Deum ydololatriae errore deliquerunt, in quartam generationem uideantur esse mulctati, profecto durior uidetur esse sententia, qua Giezi semen usque in eternum dampnatur, pro cupiditate habendi prophetica auctoritate presertim cum Dominus noster Iesus Christus per lauacri regenerationem dederit omnibus remissionem peccatorum. Cur ergo Giezi semen in eternum dampnatur, nisi ut uiciorum magis quam generis semen intelligas? Sicut enim qui filii promissionum sunt existimantur in semen bonum, ita etiam qui erroris sunt existimantur in semen malum. Nam et Iudei ex patre diabolo sunt, non utique carnis successione, sed criminis. Ergo omnes cupidi, omnes auari Giezi lepram cum diuitiis suis possident, et male quesita mercede non tam patrimonii facultatem, quam thesaurum criminum congregarunt eterno supplicio et breui fructu.”

<sup>15</sup> C. I q. 1 c. 8 — can. 2 conc. Chalcedonensis ao. 451 hab.

<sup>16</sup> C. I q. 1 c. 6 — Gelas. Papae epist. ao. 494 scr.: „Quos constiterit indignos meritis, sacram mercatos esse precio dignitatem, conuictos oportet arceri, non sine periculo facinus tale patrant, quia danter pariter et accipientem dampnatio Symonis, quam sacra lectio testatur, inuoluit.”

<sup>17</sup> C. I q. 1 c. 2. — Greg. Papae epist. ao. 599 scr.: „Quicumque studet precii datione sacrum ordinem percipere, sacerdos non est, sed concupiscit inaniter tantummodo dici.”

<sup>18</sup> C. I q. 1 c. 4 — Greg. Papae epist. ao. 599 scr.: „Benedictio illi in maledictionem conuertitur, qui ad hoc, ut fiat hereticus, promouetur.”; C. I q. 1 c. 13 — Greg. Papae epist. ao. 599 scr.: „Cum liqueat hanc heresim ante omnes radice pestifera subrepsisse, atque in ipsa sua origine apostolica esse detestacione dampnatam, cur non cauetur? cur non per-

Concilii Toletani VIII (ao. 653 hab.; auctoritas in Decreto Ambrosio adscripta); „anathematis obprobrio condemnantur, atque o participatione corporis et sanguinis Christi alienantur”<sup>19</sup>;

Tarasii Constantinop. Episcopi (epist. ao. 787 scripta; auctoritas in Decreto Gregorio Nanzano adscripta): „in sacro ordine permanere aut renouari nulla ratione possunt, ab Elizeo lepra perfunduntur, a Petro in perdicionem dampnantur, a Christo uero de templo eiciuntur”<sup>20</sup>;

Humberti Cardinalis (+1063; auctoritas in Decreto Leoni Papae adscripta): „symoniaci non nisi spiritum mendacii accipiunt”<sup>21</sup>;

Paschalis I (epist. supposita; auctoritas in Decreto Gregorio Papae adscripta): „apud eos manet anathema dandi et accipiendi, cum sancti non sint nec in Christi corpore constituti, cum sint maledicti, nec sanctificare alios possunt, nec Christi corpus tradere uel accipere, nec benedicere aliis ualent”<sup>22</sup>.

Ut patet, in simoniacos graves poenae impositae sunt, quipenditur, quia benedictio illi in maledictionem conuertitur, qui ad hoc, ut fiat hereticus promouetur?”

<sup>19</sup> C. I q. 1 c. 7 — c. 3 conc. Toletani VIII ao. 633 hab.: „Reperiuntur quamplurimi, negotiatione muneris mercari uelle gratiam Spiritus sancti, dum illi precium donant, ut pontificalis ordinis sublimitatem accipiant, oblitii uerborum Petri, qui dixit ad Symonem (Act 8, 20): 'Pecunia tua tecum sit in perdicione, quoniam existimasti donum Dei pecunia possidere.' Proinde quia et usitatum est tantum malum, et frequenter extat mucrone succisum, nos quoque huic uulneri canceroso ignitum (quod superest adhuc) incicimus ferrum, decernentes omnino, ut, quicumque deinceps pro accipienda diuini doni dignitate quodlibet premium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore se nouerit anathematis obprobrio condemnatum, atque a participatione corporis et sanguinis Christi alienum, ex quo illum constat execrabile Christo perpetrasse flagitium. Quod si aliquis eius accusator extiterit, ille, qui hunc ordinem munerum fuerit datione lucratus, et suscepto honoris gradu priuetur, et in monasterio sub perenni penitentia tradatur. Illi uero, qui hac causa munerum acceptores extiterint, si clerici fuerint, honoris sui amissione mulcentur, si uero laici, perpetuo anathemate condemnentur.”

<sup>20</sup> C. I q. 1 c. 11 — Tarasii epist., quae est inter acta conc. Nic. II ao. 787 hab. Sed Gratianus hoc loco secutus est Alger. III, 31, 32 et uidentur quidem uerba inde a: „Nam Spiritus sancti” ab ipso Algero confecta esse.

<sup>21</sup> C. I q. 1 c. 1 — caput hoc ex responsione Humberti Cardinalis (+1063) de simoniacis, c. 4, desumptum est: „Gratia si non gratis datur uel accipitur, gratia non est. Symoniaci autem non gratis accipiunt: igitur gratiam, que maxime in ecclesiasticis ordinibus operatur, non accipiunt. Si autem accipiunt, non habent; si autem non habent, neque gratis, neque non gratis cuiquam dare possunt. Quid ergo dant? profecto quod habent? quid autem habent, spiritum utique mendacii. Quomodo hoc probamus? quia si spiritus ueritatis (testante ipsa ueritate — Mt 10 — de qua procedit) gratis accipitur, proculdubio spiritus mendacii esse conuincitur, qui non gratis accipitur.”

<sup>22</sup> C. I q. 1 c. 12 — Paschal. Papae I (817—824) epist. supposititia.

bus aut sacerdotium non subsistere, aut anathema esse, aut domnatio, aut officiorum sacerdotalium administratio interdicta sancitur.

Ex sanctionibus in auctoritatibus Decreti in simoniacos latis, ut: „sacerdos non est”<sup>23</sup>, „sacerdotes esse non possunt”<sup>24</sup>, „suscepto honoris gradu priuetur, et in monasterio sub perenni penitentia tradatur”<sup>25</sup>, „inexpiabilis est enim culpa uenditi ministerii... Ergo omnes cupidi, omnes auari Giezi lepram cum diuitiis suis possident, et male quesita mercede non tam patrimonii facultatem, quam thesaurum criminum congregarunt eterno supplicio et breui fructu”<sup>26</sup>, „in sacro ordine nulla ratione de cetero permanere aut reuocari posse dubium non est”<sup>27</sup>, de irrevocabili harum poenarum indole concludendum est.

Sanctiones eiusmodi, sed propter loci angustias illae tantum, quae authenticis textibus continentur, regulae rigoris disciplinae servandi, exceptionis ex hac regula, et opinionis Gratiani ea in re ratione habita nunc examinandae sunt.

### III. De sanctionibus ope regulae rigoris disciplinae servandi ad tempus ex dispensatione misericordiae relaxandi moderandis

#### A. Secundum Ambrosium

Ambrosius, secundum quem culpa venditi ministerii inexpiabilis est, cupidi autem et avari non tam patrimonii facultatem, quam thesaurum criminum aeterno supplicio et breui fructu congregant<sup>28</sup>, regulae generalis rigoris disciplinae servandi atque exceptionis ex hac regula variis causis iustificatae conscius fuisse videtur, nam rigorem iustitiae agnoscit, dum dicit: „Qui enim Christum annuntiat, ab omni uitiorum incentiuo prestare se debet alienum”<sup>29</sup>.

Quod autem attinet ad exceptionem ex eadem regula, haec animadvertenda sunt: Gratianus postquam thesin de laicis in episcopos non eligendis auctoritatibus probavit<sup>30</sup>, exempla eorum affert, qui ex laicis in episcopos electi sunt, quae ita explicat, ut ecclesiasticae prohibitiones proprias causas habeant, quibus

<sup>23</sup> C. I q. 1 c. 2; vide supra, pag. 88 nota 17.

<sup>24</sup> C. I q. 1 c. 12.

<sup>25</sup> C. I q. 1 c. 7; vide supra, pag. 89 nota 19.

<sup>26</sup> C. I q. 1 c. 16; vide supra, pag. 88 nota 14.

<sup>27</sup> C. I q. 1 c. 11.

<sup>28</sup> C. I q. 1 c. 16; vide supra, pag. 88 nota 14.

<sup>29</sup> D. XXXV c. 8 — Ambr. in lib. de Helia et ieiunio.

<sup>30</sup> Dictum introductorium D. LXI et principium dicti Gratiani p. c. 8 D. LXI.

cessantibus et ipsae prohibitiones cessant<sup>31</sup> Hanc sententiam Magister auctoritate Ambrosii probat dicentis neophytum ordinari prohibitum esse, ne superbia extollatur, neophyto autem ordinando, qui humilitate sacerdoti necessaria imbutus est, vitium non imputatur, nam causa ordinationem suscipiendam prohibens non amplius adest<sup>32</sup>.

Animadvertendum est etiam iustitiam moderatione temperandam esse Ambrosio persuasum fuisse<sup>33</sup>.

### B. Secundum Gelasium Papam

Gratianus auctoritatibus C. I q. 1 c. 9, C. I q. 7 c. 2<sup>34</sup>, et Innocentii Papae decreto<sup>35</sup> aliisque auctoritatibus fultus simoniacos irreparabiliter damnari iussos esse tenens atque sententiam suam inter cetera auctoritate Leonis Papae IV probans<sup>36</sup> hanc severissimam atque generalem regulam disciplinae ecclesiasticae ad tempus ex dispensatione misericordiae relaxandam esse dicit. Ecclesia enim multorum crimina damnabilia pro tempore, pro persona, intuitu pietatis vel necessitatis vel utilitatis et pro eventu rei tolerat.

Rigorem autem disciplinae interdum *pro tempore* relaxandum Gratianus auctoritate Gelasii Papae probat, „qui cum necessitate temporis uideret Italicam ecclesiam propter belli famisque incursionem fere omnium clericorum officio destitutam, adeo ut plerisque populis subsidia regendarum deessent animarum, concessit de monachis uel de laicis clericos assumi...”<sup>37</sup>

In epistolis a Gratiano indicatis Gelasius Papa affirmat se necessaria rerum dispositione constrictum canonum paternorum decreta librare, „ut ea que presentium necessitas temporum restaurandis ecclesiis relaxanda deposcit” temperet<sup>38</sup>, atque „priscis... pro sua reuerentia manentibus institutis (que, ubi nulla rerum uel temporum perurget angustia, regulariter conuenit custodiri)”, ratione ecclesiarum clericorum ministeriis destitutarum etiam de laicis clericos assumi concedit<sup>39</sup>.

<sup>31</sup> In § 1 et § 2 dicti Gratiani p. c. 8. D. LXI.

<sup>32</sup> D. LXI c. 9.

<sup>33</sup> D. I dp c. 47 — Ambr. De poenit.

<sup>34</sup> C. I q. 1 c. 9 — pertinent haec ad Basilii (+379) epistolam ad suffraganeos quam edidit Berengarius: „Qui per pecunias quemquam consecrauerit, uel ab alio consecratus est, alienus a sacerdotio sit.”; C. I q. 7 c. 2 — ex prima actione conc. Nic. II ao. 787 hab.

<sup>35</sup> C. I q. 1 c. 73 — Innocent. Papae epist. ad Alexandrum ep. c. a. 415 scr.

<sup>36</sup> C. I q. 7 c. 5 — Leonis Papae IV epist. c. a. 850 scr.

<sup>37</sup> Dictum Gratiani p. c. 5 C. I q. 7.

<sup>38</sup> C. I q. 7 c. 6 — Gelas. Papae epist. ao. 494 scr.

<sup>39</sup> D. LV c. 1 — Gelas. Papae epist. ao. 494 scr.

Ecce Gelasium Papam principium generale a Patribus institutum et regulariter custodiendum, quo rigor disciplinae ecclesiasticae servatur, ab eiusdem rigoris relaxatione in casu extraordinario peculiaribusque adiunctis et speciales ob rationes peragenda distinxisse manifesto patet.

In casu a Gelasio explicato de clericis ex laicis non assumendis agitur. Similis regula a Gratiano in quaestione de laicis in episcopos non eligendis consideratur<sup>40</sup> atque auctoritatibus, quae maiore ex parte ante tempus Gelasii scriptae sunt, ibidem probatur.

Etenim Innocentius Papa I eum magistrum fieri, qui numquam discipulus fuit, eumque episcopum fieri, qui in nullo gradu umquam sacerdoti obsecutus erat, miserum esse asserit<sup>41</sup>.

Celestinus Papa quaerit, quid profuturum sit clericos per singula officia militasse, si sacerdotes ex laicis requirantur, qui saeculo vacantes et omnem ordinem ecclesiasticum nescientes saltu praepropero in alienum honorem transcendere et reverentia ecclesiasticae disciplinae calcata transire ambiunt, et laicos ad ordinem clericorum admitti prohibet<sup>42</sup>.

Leo Papa affirmat principatum ambitu occupatum, etiamsi moribus atque actibus non offendat, ipsius tamen vitii sui exemplo perniciosum esse, atque difficile esse, ut bono exitu ea peragantur, quae malo principio inchoata sunt<sup>43</sup>. Romanus Pontifex praeceptum Pauli Apostoli (I Tim 5, 22) provocans manum cito nemini imponi iubentis in cuiuspiam persona hoc praetermittendum non esse dicit, quod institutis generalibus continetur, nec honorem illum legitimum putandum esse tenet, qui contra divinae legis praecepta collatus sit. Sanctiones enim Patrum de sacerdotum electione agentium eos sacris administrationibus idoneos censuerunt, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per singula disciplinae ecclesiasticae stipendia seu officia cucurrisset<sup>44</sup>. Romanus Pontifex statuit, ne apostolica et canonica decreta violarentur neve his ecclesia regenda crederetur, qui legitimarum institutionum nescii a summis principium habere volunt, ab infimis autem incrementum non sumunt<sup>45</sup>.

Similiter in concilio Laodicensi ii in episcopos eligi prohibentur, quos multo ante nota probabilisque vita non commendat<sup>46</sup>.

<sup>40</sup> Dictum introductorium D. LXI.

<sup>41</sup> D. LXI c. 4 — Innocent. Papae epist. ao. 416 scr.

<sup>42</sup> D. LXI c. 7 — Celestini Papae epist. ao. 429 scr.

<sup>43</sup> C. I q. 1 c. 25 — Leonis Papae epist. c. a. 446 scr.

<sup>44</sup> D. LXI c. 5 — Leonis Papae epist. ao. 446 (?) scr.; cf. D. LXXVIII c. 3.

<sup>45</sup> D. LXI c. 8 — Leonis Papae epist. ao. 446 (?) scr.

<sup>46</sup> D. LXI c. 6 — c. 12 conc. Laodicen. int. a. 343 et a. 381 hab.; cf. D. XXIV c. 4.

Gratianus autem postquam has et alias post Gelasium latas adduxit leges, ex quibus laicos in episcopatum eligi prohibitos esse constat, etiam contraria exempla affert, eorum scilicet, qui ut Nicolaus, Severus, et Ambrosius ex laicis in episcopos electi sunt.

Hanc dissimilitudinem in disciplina ecclesiastica servanda Magister ita explicat: prohibitiones ecclesiasticae proprias causas habent, quibus cessantibus et ipsae prohibitiones cessant. Prohibitionis enim laicos in episcopos eligendi haec causa est, quod laici ecclesiasticis disciplinis per ordinem non eruditi exempla religionis aliis praestare nesciunt, quae in se ipsis experimento non didicerunt. Cum ergo aliquis laicus sua perfectione clericalem vitam transcendat, ut Nicolaus, Severus, et Ambrosius, eius electio in episcopum rata haberi potest. Id Magister enuntiatione Ambrosii probat<sup>47</sup>, in qua Doctor ille Ecclesiae, ut dictum est, neophytos ordinari hanc ob rationem prohibitos esse testatur, ne in superbiam extollantur, simul tamen addit, si humilitas sacerdotio necessaria adsit, ubi causa non cohaereat, vitium non esse imputandum<sup>48</sup>.

Aliud exemplum rigoris disciplinae ex dispensatione misericordiae relaxandi, scilicet *pietatis intuitu*, Gratianus in illiteratis et corpore vitiatis indicat<sup>49</sup>, de quibus Gelasius Papa statuit, ut, si tales ordinati essent, ultra non promoverentur, sed satis haberent officia, quae possident, pro nimia miseratione sibi esse concessa<sup>50</sup>.

Haec autem permissio ex regula generali prohibitionibus annotata de illiteratis et corpore vitiatis ad clerum non promovendis<sup>51</sup> et divinis ministeriis non applicandis<sup>52</sup> exceptio est<sup>53</sup>.

<sup>47</sup> Dictum Gratiani p. c. 8 D. LXI.

<sup>48</sup> D. LXI c. 9 — Ambr. epist. ao. 396 scr.

<sup>49</sup> Dictum Gratiani p. c. 11 C. I q. 7.

<sup>50</sup> C. I q. 7 c. 12 — Gelas. Papae epist. ao. 494 scr.

<sup>51</sup> D. XXXVI c. 1 — Gelas. Papae epist. ao. 394 scr.: „Illiteratos, aut aliqua parte corporis imminutos nullus presumat ad clerum promoveri, quia litteris carens sacris non potest esse aptus officii, et vitiosum nichil Deo prorsus offerri legalia precepta sanxerunt.”; cf. notam Correctorum ad hoc caput appositam.

<sup>52</sup> D. L c. 59 — Gelas. Papae epist. ao. 494 scr.: „Non confidat quisquam pontificum fas esse... corpore viciatos... diuinis seruituros ministeriis.”

<sup>53</sup> Similis casus habetur in epistolis Gelasii in D. LIV c. 9, c. 10, c. 11, et c. 12 relatis, ubi de clericis servili conditione obnoxiiis agitur, et in epistola in D. LXXVII c. 9 relata, in qua legimus: „Que tamen eate-nus indulgenda credimus ut ecclesiis ab hac occasione cessantibus canonum paternorum vetus forma seruetur.” — Nota Correctorum: „Ecclesiis: Haec multo plenius a Gelasio exponuntur: Ut illis, inquit, ecclesiis, quibus infestatione bellorum vel nulla penitus, vel exigua remanserunt ministeria, renouentur, quatenus his Deo propitio restitutis, in ecclesiasticis gradibus subrogandis canonum paternorum vetus forma

Gratianus postquam casus rigoris disciplinae relaxandi indicavit, has ob causas quaedam in Ecclesia tolerari dicit, quae eisdem casibus cessantibus pia severitate vindicantur. Quando autem toleranda, quando vero resecanda sint, Magister auctoritate Gelasii Papae ostendit<sup>54</sup>, qui illa nonnumquam concedenda esse, quae, in ceteris integritate servata, sola nocere non possunt, illa vero, quae sine manifesta decoloratione recipi non possunt, stricte praecavenda esse tenet, et dicit: „Et si ea ipsa, que nullo detrimento aliquociens indulgenda creduntur, uel rerum uel temporum cogit intuitus, uel acceleratae prouisionis excusat respectus, quanto magis illa nullatenus sunt mutilanda, que nec ulla necessitas, nec ecclesiastica prorsus extorquet utilitas? Aliquando enim pro necessitate uel ecclesiae utilitate mutilantur et laxantur precepta canonica”<sup>55</sup>.

Cum autem statim post haec Gratianus scribat: „Breuiter ostendimus, qui reuertentes ab heresi in suis ordinibus ualeant recipi, uel qui non”<sup>56</sup>, concludendum est Magistrum multarum auctoritatum diligenti analysi peracta congruenter cum canonum praescriptis opinione antiquitus accepta seu Ecclesiae traditione firmiter fundatis in clericis ex haeresi ad Ecclesiam redeuntibus ad officia sacerdotalia administranda admittendis duo stricte observanda esse tenuisse, scilicet regulam generalem prohibitionibus annotatam, secundum quam tales clerici ad officia in Ecclesia administranda admittendi non sunt, et exceptionem ex hac regula dispensationem misericordiae significantem, secundum quam in casibus particularibus modo extraordinario variis causis iustificato iidem clerici ad officia sacerdotalia in Ecclesia administranda admitti possunt.

### C. Secundum Gregorium Papam

Gregorius Papa simoniace ordinatum sacerdotem non esse, sed tantum sacerdotem se dici inaniter concupiscere affirmat<sup>57</sup>. Quia autem Gregorius simoniam haeresin esse tenet<sup>58</sup>, sanctiones in simoniacos eodem modo ac in ceteros hae-

---

servetur, nec contra eos ulla ratione praeualeat, quod pro accidentis defectus remedio providetur, non aduersus scita maiorum nova lege proponitur, ceteris ecclesiis ab hac occasione cessantibus, quas non simili clade vastatas pristinam faciendis ordinationibus conuenit tenere sententiam.” — Gratianus in dicto p. c. 20 C. XVI q. 1 animadvertit Gelasium in auctoritate hac monachos ex dispensatione defensores fieri permittere.

<sup>54</sup> Dictum Gratiani p. c. 22 C. I q. 7.

<sup>55</sup> C. I q. 7. 23 — Gelas. Papae epist. ao. 494 scr.

<sup>56</sup> In § 1 dicti p. c. 23 C. I q. 7.

<sup>57</sup> C. q. 1 c. 2; vide supra, pag. 88 nota 17.

<sup>58</sup> C. I q. 1: c. 13, c. 27 § 2, c. 28, et c. 117.

reticos ab eo latae intelligendae sunt. Etenim Romanus Pontifex consuetudinem, sive de primatibus constituendis sive de ceteris capitulis contra fidem catholicam nihil agere et immotam permanere generaliter agnoscens eos, qui ex Donatistis ad episcopatum perveniunt, plebis sibi commissae curam gerere sinit, ad dignitatem vero primatus provehi prohibet<sup>59</sup>.

In Distinctione XLV Gratianus verba Pauli Apostoli (I Tim 3, 2) episcopum percussorem esse non debere tenentis explicans auctoritatem eiusdem Gregorii adducit in regimine Ecclesiae disciplinam cum misericordia, districtionem cum mollicie pietatis, severitatem cum lenitate, asperitatem cum benignitate, virgam districtionis cum manna dulcedinis, vigorem cum amore, zelum cum pietate vel amore, severitatem cum misericordia, zelum severitatis cum igne amoris, severitatem cum pietate, legationem fortem cum mediatione admirabili, gladium cum precibus iungere commendantis<sup>60</sup>.

Gratianus postquam variis criminibus irretitos in sacerdotes ordinandos non esse auctoritatibus demonstravit, de eiusmodi sacerdotibus, an post peractam poenitentiam in propriis ordinibus remanere et ad altiōres gradus promoveri possint, quaestionem ponit. Qua in quaestione Magister imprimis variis criminibus irretitos multis auctoritatibus a propriis ordinibus deici, et a promotione ad maiores ordines prohiberi probat<sup>61</sup>.

Gregorius Papa sacerdotes lapsos in ordine suo revocari prohibet, nam si licentia ad suum ordinem revertendi lapsis conceditur, vigor disciplinae canonicae frangitur, qua de causa poenam in eos ad tempus dilatam sentire eos oportet<sup>62</sup>. Idem tamen Pontifex presbyterum quendam lapsum nulla ratione in sacro ordine aut permanere aut revocari posse decernens, cum clerico quodam, qui crimen suum facile confessus est, mitius agendum esse statuit<sup>63</sup>. Severissimae sanctiones a Gregorio saepe latae sunt<sup>64</sup>.

Gratianus autem postquam auctoritates sacerdotes in sacro ordine permanere, aut revocari posse prohibentes adduxit, auctoritates etiam refert, quibus eiusmodi sacerdotibus post per-

<sup>59</sup> D. XII c. 8 — Greg. Papae epist. ao. 591 scr.; D. XI c. 6.

<sup>60</sup> D. XLV c. 9 — Greg. in Moral.

<sup>61</sup> Dictum introductorium D. L.

<sup>62</sup> D. L. c. 1 — Greg. Papae epist. ao. 595 scr.

<sup>63</sup> D. L. c. 3 — Greg. Papae epist. ao. 598 scr.

<sup>64</sup> D. L. c. 9, 10, et c. 11 — Greg. Papae epistolae ao. 594 et ao. 597 scriptae.



actam poenitentiam proprios gradus licite administrare et ad altiores conscendere concessum est, multos quoque ex haeresi ad Ecclesiam redeuntes in suis ordinibus receptos, alios etiam ad episcopalem gradum promotos esse explicans <sup>65</sup>.

In homilia inter auctoritates has relata Gregorius eis, qui in confusione infirmitatis iacent, auctoritatem praedicandi dandam non esse, sed in bono opere surgentes ad praedicandum mittendos esse dicit <sup>66</sup>.

Gratianus in suo Decreto discordantium canonum concordiam demonstrans inter lapsos, quos timor proprii gradus amitendi et ambitio celsioris gradus assequendi ad poenitentiam cogit, quosque sacri canones irrecuperabiliter deiciendos esse statuunt <sup>67</sup>, et lapsos, qui pro delictis suis digne poenitent, quique secundum auctoritatem Gregorii et Hieronymi gradum pristinae dignitatis recipere possunt, distinguit <sup>68</sup>.

Ex adductis auctoritatibus Magister desidiosos et negligentes, non vere poenitentes, reparandos non esse, atque vigorem iustitiae circa delinquentes servandum, circa poenitentes vero misericorditer relaxandum esse, vel eos, quorum crimina manifesta sunt a sacris ordinibus deiciendos, eos vero, quorum delicta occulta sunt, satisfactione secreta peracta in propriis ordinibus retinendos esse concludit <sup>69</sup>.

Gratianus similiter auctoritatibus Decreti fultus eos, qui necessitate hominem occiderunt, poenitentia peracta et officio et communioni reddi <sup>70</sup>, casu vero hominem occidentes in proprio gradu ex dispensatione remanere <sup>71</sup>, si autem ira commoti aliquem interfecerint, perpetuo deponendos esse asserit <sup>72</sup>.

Deinde ex auctoritate Gregorii Papae docentis Deum Petro Apostolo, quem cunctae Ecclesiae praeferri disposuerat et eum Christum negare permisit, magnae pietatis dispensatione id fecisse, ut is, qui pastor Ecclesiae futurus erat, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri deberet <sup>73</sup>, Gratianus exemplo B. Petri lapsos post dignam poenitentiam non solum propria officia retinere, verum etiam ad maiora conscendere posse ostendit <sup>74</sup>.

<sup>65</sup> Dictum Gratiani p. c. 12 D. L.

<sup>66</sup> D. L. c. 17 — Greg. in Ez; cf. D. L. c. 18 — Greg. Moral.

<sup>67</sup> Dictum Gratiani p. c. 24 (palea) D. L.

<sup>68</sup> Dictum Gratiani p. c. 28 D. L.

<sup>69</sup> Dictum Gratiani p. c. 32 D. L.

<sup>70</sup> Dictum Gratiani p. c. 35 D. L.

<sup>71</sup> Dictum Gratiani p. c. 36 D. L.

<sup>72</sup> Dictum Gratiani p. c. 38 D. L.

<sup>73</sup> D. L. c. 53 — Greg. hom. in Evang. Mc 16.

<sup>74</sup> Dictum Gratiani p. c. 52 D. L.

Praeterea Magister poenitentiam solemnem pergendam<sup>75</sup> nulli umquam clericorum concedi, qua de causa huiusmodi poenitentes ad clerum admittendos prohibitum esse animadvertit<sup>76</sup>, et apostatas quoque ad clericatus officium admittendos non esse affirmat<sup>77</sup>.

Gratianus quaestionem examinans de presbyterorum filii ad sacra officia non admittendis<sup>78</sup> ait permissionem filios sacerdotum ordinandi ex dispensatione introductam esse, quod autem ex dispensatione introducitur ad consequentiam regulae trahi non posse dicit<sup>79</sup>.

Deinde in q. 1 C. I Gratianus thesin suam spiritualia emere esse peccatum probans inter cetera auctoritates Gregorii adducit, in quibus, ut supra animadversum est, Romanus Pontifex eum, qui pretio dato se ordinari permiserit, sacerdotem non esse, sed tantum sacerdotem inaniter dici concupiscere<sup>80</sup> et benedictionem illi in maledictionem converti affirmat<sup>81</sup>.

Ut ex aliis auctoritatibus, sic ex epistola Gregorii dicentis avaritiam idolorum servitutem esse atque eam in honoribus ecclesiasticis dandis non praecaventis infidelitatis perditioni subici, etiamsi fidem tenere videantur<sup>82</sup>, Gratianus ut ceteros haereticos, sic simoniacos a fide deficere atque quod de aliis haereticis decernitur, etiam de simoniaco statutum esse intelligendum concludit<sup>83</sup>.

Magister thesin suam de nulla spirituali gratia simoniaco cooperanti exemplum a Christo sumens non venditori vel ementi, sed eis, qui nescientes aderant, dona suae gratiae conferenti ad hos tantum coarctat, qui scientes a simoniaco sacramenta accipiunt, eis vero, qui ignorantia ducti a simoniaco sacramenta suscipiunt, effectum gratiae impertiri probat.

Gratianus huic thesi obiectionem ex eo eductam, quod saepe sinistra principia ad felices exitus perveniunt, ut si pecunia per simoniam acquisita pauperibus profutura erogetur, refutans<sup>84</sup> inter cetera auctoritates Gregorii adducit, in quibus pecuniam, quae pro sacris ordinibus datur, in bona opera erogata non proficere, sacrificio vero ex scelere oblato

<sup>75</sup> Dictum Gratianip. c. 61 D. L.

<sup>76</sup> Dictum Gratianip. c. 64 D. L.

<sup>77</sup> Dictum Gratianip. c. 68 D. L.

<sup>78</sup> Dictum introductorium D. LVI.

<sup>79</sup> Dictum Gratianip. c. 12 D. LVI.

<sup>80</sup> C. I q. 1 c. 2; vide supra, pag. 88 nota 17.

<sup>81</sup> C. I q. 1 c. 4 et c. 13; vide supra, pag. 88 nota 18.

<sup>82</sup> C. I q. 1 c. 20 — Greg. Papae epist. ao. 601 scr.

<sup>83</sup> Principium dicti Gratiani p. c. 22 C. I q. 1.

<sup>84</sup> Dictum Gratianip. c. 24 C. I q. 1.

Dei iracundiam non placari, sed irritari<sup>85</sup>, in anima simoniaci ordinatoris et ordinati vulnus letale infigi, neque sacerdotio eum dignum esse, cui praemiorum copia, non vero actionis merita suffragantur, ex simonia vero sacerdotes non proficere, sed potius perire, quod vulnerato pastore nemo ovibus curandis medicinam adhibet, simoniacum autem sacerdotem, cuius radix gravi peste infecta est, nullum de se fructum producturum esse legimus<sup>86</sup>.

Magister inter cetera his auctoritatibus Gregorii fultus ex sinistro simoniacorum principio nullum felicem exitum, nullum fructum produci, sed maiorem adhuc calamitatem in futuro timendam esse tenet<sup>87</sup>.

Ex actoritatibus autem Augustini sacramenta instar lucis et puri fluvii per lapideos canales ad fertiles areolas pervenientis ab immundis coinquinari non posse dicentis<sup>88</sup> Gratianus simoniacos sacramentum ordinis sibi quidem inutiliter et perniciose habere, aliis vero utiliter et salubriter administrare concludit. Ex hoc autem sacramenta haeticorum non solum ratione formae, sed etiam ratione effectus vera esse patet.

Huic tamen conclusioni de ordinatione simoniacorum etiam effectum producenti Gratianus reluctatur inter sacramenta necessitatis et sacramenta dignitatis distinguens. Sacramenta necessitatis quia salutis necessaria, et quia nec iterari nec amitti possunt, illicite accepta post peractam poenitentiam rata esse permittuntur. Sacramentum vero ordinis, quia digne, dignis, et a dignis administrari debet, illicite datum sacramentum dignitatis in eo sensu desinit, ut non veritas sacramenti, sed tantum officium illud administrandi vel loco vel tempore vel promotione cesset<sup>89</sup>.

Deinde examinatis aliquibus quaestionibus postquam Gratianus thesi suae de sacramento ordinis ab haeticis ministrato eoque effectu carenti ex auctoritate Anastasii<sup>90</sup> et Augustini<sup>91</sup> obiecit, et quomodo obiectiones hae refellendae essent, ostendit<sup>92</sup>, sacramenta quorumvis sacerdotum indignorum, etiam haeticorum, in se sancta et vera esse, ratione autem sui effectus i.e. deficientis gratiae sacramentalis et

<sup>85</sup> C. I q. 1 c. 27 — Greg. Papae epist. ao. 599 scr.

<sup>86</sup> C. I q. 1 c. 28 — Greg. Papae epist. ao. 599 scr.; cf. etiam C. I q. 1 c. 116 et c. 117.

<sup>87</sup> Dictum Gratiani p. c. 28 C. I q. 1.

<sup>88</sup> C. I q. 1 c. 30; cf. etiam C. I q. 1 cc. 29, 31—39.

<sup>89</sup> Dictum Gratiani p. c. 39 C. I q. 1.

<sup>90</sup> Dictum Gratiani p. c. 96 C. I q. 1; vide supra, pag. 83 nota 2.

<sup>91</sup> Inscriptio c. 97 C. I q. 1; ibidem.

<sup>92</sup> Dictum Gratiani p. c. 96 (vide supra, pag. 83 nota 2) et § 4 dicti p. c. 97 C. I q. 1; vide supra, pag. [11].

administrationis eorum interdicta irrita, non vera et damnanda dici solita esse concludit<sup>93</sup>. Gratianus hoc inter cetera auctoritate Gregorii Papae probat consecrationem ab Arianis peractam sacrilegam esse dicentis<sup>94</sup>.

Hanc sententiam Gratiani iis, quae Magister de officio sacramentum ordinis administrandi amittendo vel de prohibitionibus ecclesiasticis iustas ob causas cessantibus dixit, similem et cum enuntiatis Gregorii Papae concordare et generali regula rigoris disciplinae servandi ad quorumvis sacerdotum indignorum, etiam haereticorum, sacramenta tantum ratione eorum effectus reprobanda spectanti fundatam esse patet.

#### D. Secundum concilium Toletanum VIII

In concilio Toletano VIII, in quo simoniace ordinati anathematis sententia condemnantur, a participatione Eucharistiae alieni et suscepto honoris gradu privandi esse statuuntur<sup>95</sup>, ratio distinctionis inter rigorem disciplinae et dispensationem misericordiae in his verbis: „Inconmutabilis idemque semper existens Dei summi natura sua sepe in sacris litteris legitur mutasse promissa, et pro misericordia temperasse sententiam”<sup>96</sup> habenda esse videtur.

#### E. Secundum Tarasium Constantinopolitanum Episcopum

Tarasius evangelica atque Patrum auctoritate fultus simoniace ordinatos ex sacerdotali ordine excidisse, quamquam nomine sacerdotium sortiti sunt, eosque falso nomen istud conferre probat et haeresi Macedonii peiores esse affirmat, atque sententiis Patrum eos a sacerdotio omnino alienos, omnes autem promotiones ecclesiasticas interventu pecuniae factas irritas esse tenet<sup>97</sup>. Idem tamen Tarasius multos ex haeresi redeuntes in suis ordinibus receptos esse, ergo ordinatos ab haereticis simili modo recipiendos esse, quoniam **ordinatio ex Deo est**, in actione I concilii Nicaeni II dixisse

<sup>93</sup> In § 7 dicti p. c. 97 C. I q. 1 paulo infra relata.

<sup>94</sup> C. I q. 1 c. 72; cf. C. XXIV q. 1 c. 42.

<sup>95</sup> C. I q. 1 c. 7 — c. 3 conc. Tolet. VIII ao. 653 hab.

<sup>96</sup> C. XXII q. 4 c. 9 — c. 2 conc. Tolet. VIII ao. 653 hab.; cf. similem Ambrosii sententiam in C. XXII q. 4 c. 8 et c. 12 relatam.

<sup>97</sup> Fragmentum epist. Tarasii ad Hadrianum Papam ao. 787 scriptae a Correctoribus Romanis in nota ad c. 21 C. I q. 1 apposita in nova translatione datum; cf. C. I q. 1 c. 21; cf. etiam fragmenta epistolarum Tarasii in C. I q. 7 c. 2 relata atque a Friedbergio in notis ad hoc caput appositis indicata.

legitur. Tarasius ex eiusmodi receptione tantum hos excipit, qui ordinationem ab haereticis sponte susceperunt vel ad subversionem fidei ordinati sunt, et maxime cum episcopi orthodoxi praesentes erant, a quibus ordinari poterant, qua de causa ab haereticis ordinatos deponendos esse dicit<sup>98</sup>.

Gratianus has auctoritates aut ad probandum simoniacos, etsi fidem tenere viderentur, perditioni haereticae infidelitatis subiectos esse<sup>99</sup>, aut in quaestione, utrum haeresi suae renuntiantes in episcopali dignitate recipiendi essent necne, introduxit<sup>100</sup>. Magister eos, qui ab haereticis sponte ordinati sunt, vel eos, qui contemptis episcopis orthodoxis ab haereticis se ordinari permiserint, et postea ad Ecclesiam redierint, officio accepto fungi non posse, i.e. ab administratione ecclesiastica prohibitos esse concludit<sup>101</sup>.

Sed simoniaci nec ab haereticis ad fidei subversionem ordinantur, neque in Ecclesia ordinati adversus fidem armantur. Quamvis enim nonnullos pecunia ordinent, neque tamen fidem impugnant, neque gratiam Spiritus Sancti venalem esse praedicant. Haeresi igitur sua agentes poenitentiam detestata, licet aliquibus auctoritatibus in suis gradibus recipiendi non esse demonstrari non possint, nihilominus tamen aliquibus auctoritatibus<sup>102</sup> et Innocentii Papae decreto<sup>103</sup> irreparabiliter damnari iubentur<sup>104</sup>. Ut dictum est, Gratianus hanc quaestionem ope distinctionis inter rigorem disciplinae et dispensationem misericordiae solvit<sup>105</sup>. Non est dubium, quin Magister ad eiusmodi distinctionem faciendam etiam in enuntiatis Tarasii supra relatis fundamentum habuerit.

#### F. Dictorum collectio brevis

Sive igitur in Decreti auctoritatibus, sive eis fundatis Gratiani dictis agitur:

de sacramento ordinis per haereticos ministrato effectu carenti, de simoniaco ex sua ordinatione in nullo proficientibus; nihil proficientibus; non proficientibus, sed potius pereuntibus, et nullum de se fructum producturis;

item de simoniaco sacerdotio indignis; in perditionem dam-

<sup>98</sup> C. I q. 7 c. 4 — actione prima conc. Nic. II ac. 787 hab.

<sup>99</sup> Dictum Gratiani p. c. 18 C. I q. 1.

<sup>100</sup> Dictum introductorium q. 7 C. I.

<sup>101</sup> Dictum Gratiani p. c. 4 C. I q. 7; cf. C. I q. 7 c. 1 — Cypr. epist. ao. 256 scr.

<sup>102</sup> C. I q. 1 c. 2 et c. 9; C. I q. 7 c. 2.

<sup>103</sup> C. I q. 1 c. 73.

<sup>104</sup> Dictum Gratiani p. c. 4 C. I q. 7.

<sup>105</sup> Dictum Gratiani p. c. 5 C. I q. 7.

natis; non sanctis nec sanctificare alios valentibus; non sacramenti ordinis gratiam, sed spiritum mendacii accipientibus;

de vulnere capitis in ordinatione haereticorum accepto eoque in anima simoniaci ordinatoris et ordinati infixio; de vulnerato pastore simoniaco medicinam ovibus curandis non adhibenti; de radice simoniaci sacerdotis gravi peste infecta; et de simoniacis lepra affectis;

de simoniacorum vendito ministerio; de officiis acceptis ab ordinatis ab haeretico damnato; de revertentibus ex haeresi in suis ordinibus in Ecclesia receptis; de sacerdote ad locum regiminis praemiis ascendenti; de cura plebis Donatistis episcopis ad Ecclesiam redeuntibus permessa; de simoniacis suscepto honoris gradu privandis iisque in monasterio sub perenni poenitentia tradendis, necnon thesaurum criminum congregantibus aeterno supplicio et brevi fructu;

de sacrificio simoniacorum ex scelere oblato Deum irritanti; de consecratione ab Arianis peracta sacrilega vocata; de ordinatis ab haeticis in Ecclesia in suis ordinibus recipiendis, quoniam ordinatio ex Deo est; de sententia Gregorii simoniacum sacerdotem non esse affirmantis;

de sacramento ordinis illicite dato in sua veritate non deminuto, sed tantum de officio illud administrandi vel loco vel tempore vel promotione cessanti; de sacramentis haereticorum in se sanctis et veris, irritis autem, damnandis, falsis, et inanibus hanc ob rationem vocatis, quia perfidis dantibus et illicite ab eis accipientibus ad iudicium sunt, et ideo damnandis, ut ea dari vel recipi ab haeticis non approbetur, sed interdicator;

de his, qui contemptis episcopis orthodoxis ab haeticis se ordinari permiserint, et postea ad Ecclesiam redierint, officio accepto fungi prohibitis; de clericis ab haeretico damnato ordinatis ad officia sacerdotalia administranda non admittendis;

de sacerdotibus lapsis in ordine suo revocari prohibitis, ne rigor disciplinae canonicae frangatur; de sanctionibus contra illicite ordinatos prohibitionum characterem habentibus iisque iustis de causis temperandis, atque de rigore disciplinae nonnumquam relaxando; de prohibitionibus ecclesiasticis proprias causas habentibus, quibus cessantibus et ipsae prohibitiones cessant;

de prohibitione, ne sacerdotes ex laicis saltu praepropero assumantur, atque de damnatione simoniacorum eadem regula rigoris disciplinae servandi fundata; de clericis illiteratis vel corpore vitiatis vel interfectoribus vel simonia-

cis et haereticis eidem regulae rigoris disciplinae servandi nonnumquam iustas ob causas relaxandi subiectis;

de lapsis, qui pro crimine suo digne poenitent, gradum pristinae dignitatis recipere valentibus; de Petro Christum neganti, nihilominus tamen pietatis dispensatione pastore Ecclesiae effecto; de aliquibus clericis post lapsum reparandis, criminosis vero de proprio gradu deiciendis, iisque sententia solvendis vel damnandis.

Omnium Decreti auctoritatum analysi peracta in tomo secundo operis nostri, quod supra diximus (pag. [4]), quascumque sanctiones sive in criminosos sacerdotes catholicos, sive in simoniacos vel quosvis sacerdotes haereticos latas non ad ipsum ordinis sacramentum in forma Ecclesiae ubicumque collatum, non ad eiusdem potestatem sacramentalem, sed tantum ad gratiam hoc sacramento non impertitam potestatemque non sacramentalem cum eodem sacramento connexam penitus ademptam deminutamve spectare probavimus.

Eandem igitur enuntiatorum et sanctionum paulo supra allatarum vim atque voluntatem imprimis regulae rigoris disciplinae servandi ex dispensatione misericordiae nonnumquam relaxandi peculiari quadam ratione habita paucis tantum hic demonstrandam esse statuimus.

Ex sententiis auctoritatum et Gratiani enuntiatibus de sacramento ordinis per haereticos ministrato effectu carenti, et de simoniaco sacerdotibus: in perditionem damnatis; ex sua ordinatione nihil proficientibus, sed potius pereuntibus; nullum de se fructum producturis; non sanctis nec sanctificare alios valentibus; non gratiam, sed spiritum mendacii (qui in Decreti auctoritatibus gratiae in sacramento ordinis dandae opponitur) accipientibus sive simoniacos sive haereticos sacramentum ordinis valide conferre et accipere, gratia vero huius sacramenti eiusque non sacramentali potestate destitutos esse comperimus.

Similiter ex effatis patet de vulnere capitis in ordinatione haereticorum accipiendo vel de radice simoniaco sacerdotis gravi peste infecta. Quid enim aliud nomine capitis vel radice in casu significatum esset, nisi aut ordinis sacramentum valide collatum vulnere tamen affectum, i.e. inefficax, aut ipse potius sacerdos gratia sacramentali destitutus?

Haud secus ex enuntiatibus apparet de vulnere letali in anima — ergo non in ipso sacramento — simoniaco ordinatoris et ordinati infixio, de simoniaco sacerdotio indigno, et de vulnerato pastore simoniaco medicina oves non curanti. Simoniacus enim sacramentum ordinis invalide conferens et accipiens vel amittens pastor nequaquam vocari potuisset.

His affine est etiam illud de ministerio a simoniaco vendito,

quod auctoritatum doctrinae de sacramento ordinis vendibili, in-vendibili vero gratia optime concordat, atque illud de officiis ab ordinato ab haeretico damnato acceptis, de haereticis ad fidem conversis in suis ordinibus recipiendis, de sacerdote quamvis simoniaco, tamen ad locum regiminis ascendenti, de cura plebis haereticis ad Ecclesiam venientibus permessa, item de honoris gradu a simoniaco suscepto, et simoniaco in monasterio sub perenni poenitentia tradendis, quae poena maxime clericorum propria esse noscitur. Non est igitur dubium, quin ordinis sacramentum a quibusvis simoniaco vel haeretico in forma Ecclesiae collatum validum sit.

Simoniaco utique suscepto honoris gradu privandi esse dicuntur. Quomodo tamen sanctio haec intelligenda sit, ex enuntiatis comperimus, in quibus ordinati ab haereticis officio accepto fungi prohibentur, et ad officia sacerdotalia administranda non esse admittendi statuuntur.

De sacramento ordinis valido agnito etiam ex auctoritatibus constat, in quibus consecratio ab Arianis peracta sacrilega vocatur, Deus autem sacrificio simoniacorum irritari affirmatur et ordinati ab haereticis in suis ordinibus hanc ob rationem in Ecclesia recipiendi esse dicuntur, quod ordinatio ex Deo est.

Etenim aliquid sacrum fit, aut non fit. Cum non fit, sacrum non est, neque sacrilegum fieri vocarique potest. Cum autem sacrum fit, non propter se, neque in se ipso, sed tantum ob culpam indigne illud tranctantis eiusque in anima sacrilegum effici potest. Deinde non nisi valide ab haereticis ordinati in suis ordinibus in Ecclesia recipiendi esse dici possunt.

Neque huic conclusioni de sacramentis simoniacorum validis agnitis sententia Gregorii obstat simoniaco sacerdotem non esse dicentis. Iste enim Romanus Pontifex etiam de sacerdote agit, qui ad locum regiminis praemiis ascendit, et „vult suscepti gregis curam gerere, sed formidat, ne deterior culpa sit, regimina pastoralis gregis empta possidere”<sup>106</sup>, eo ipso simoniacos et sacerdotes esse se agnoscere, et eos officia sacerdotalia administrare se scire ostendens.

Deinde, ut supra animadversum est, Gregorius benedictionem simoniacorum in maledictionem illis converti affirmat. Benedictio igitur haec valida est, nam ut maledictio fiat, prius ex benedictione in maledictionem convertatur necesse est. Sed neque in maledictionem conversa benedictio desinit, nam non sibi met ipsi, sed tantum illis, id est simoniaco in maledictionem convertitur. De benedictione igitur tantum effectu suo destituta, non vero ipsa invalida agitur.

In aliis autem epistolis suis in Decreto positis et supra relatis

<sup>106</sup> D. XIII c. 2 § 3 — Greg. Moral.



Gregorius Papa tantum de indignitate simoniaci sacerdotis administrationem officiorum ecclesiasticorum eidem prohibenti, de sacerdotibus simoniacis ratione valide recepti sacramenti ordinis veris, ratione vero suae ordinationis in scelere acceptae non proficientibus, item de simoniacis radicem sacerdotii sui habentibus, sed tantum gravi peste infectam, non de pastoribus nullis — ergo de veris sacerdotibus — sed tantum vulneratis, et quidem non in sacramento ordinis, sed tantum in anima sua, qua de causa medicinam curandis ovibus non adhibentibus, de sacerdotibus simoniacis nullum de se fructum producentibus, non vero de ipso ordinis sacramento simoniace accepto valido vel invalido agit.

Cum igitur idem Romanus Pontifex in eosdem simoniacos pecunia ordines accipientes severissimam illam sanctionem tulerit eos sacerdotes non esse dicens<sup>107</sup>, eum sanctione hac detestationem simoniacae haeresis regula rigoris disciplinae servandi fundatam, non vero ipsum ordinis sacramentum simoniace acceptum invalidum esse pronuntiare voluisse concludendum est.

Non alia hac in re etiam Gratiani multis Decreti auctoritatibus fulti opinio erat. Imprimis ad Eucharistiam quod attinet, Magister in dicto p.c. 95 C.I. q.1 posito docet: „Cum uita sacerdotum eucharistiae necessaria esse dicitur, non consecrationi, sed effectui intelligendum est; non enim effectum confert salutis ei, quem merita faciunt indignum; potius completur in eo illud Apostoli (I Cor 11, 27): ‚Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.’”

Quod autem attinet ad sententiam Gregorii simoniacum sacerdotem non esse affirmantis, Magistrum eam in C.I q.1 c.2 ad thesin suam probandam, „quod... spiritualia emere peccatum sit”, in dicto introductorio q.1 C.I positam attulisse animadvertendum est. Huius enim quaestionis a Gratiano examinandae honestas sacramenta tractantium, gratia in sacramentis impertienda, et sacerdotum potestas non sacramentalis, non vero sacramentum validum invalidumve obiectum est.

Denique ad omnia sacramenta a sacerdotibus indignis etiam simoniacis et haereticis tractanda quod attinet, sententiam Gratiani hic afferre iuvat in § 7 dicti p.c. 97 C. I q. 1 adiuncti instar regulae cuiusdam universalis positam, quae est: „Sciendum uero est, quod sacramenta haereticorum dicuntur irrita, uel etiam dampnanda, falsa et inania, non quantum ad se, cum sint sancta et uera etiam ab heretico celebrata, sed quia, cum illicite dantibus perfidis sint ad iudicium, illicite ab eis accipientibus non conferunt Spi-

<sup>107</sup> C. I q. 1 c. 2; vide supra, pag. 88 nota 17.

ritum sanctum. Irrita et non uera dicuntur, quia quod promittunt et conferre creduntur non tribuunt, et ideo dampnanda, ut ea dari uel recipi ab hereticis non approbetur sed interdicatur. Non enim quantum ad se polluta sunt, quamuis ab hereticis pollui dicantur. Unde Gregorius (C.I q.1 c. 72) communionem Arii uocat execrationem, et Innocentius (C.I q.1 c. 17 et c. 18) uocat Bonosi ordinationem dampnationem, non quod ita in se sint, sed quia male dantibus uel accipientibus id efficiunt. Sic etiam Ieronimus in Osee sacrificia eorum panem luctus uocat non quantum ad se, sed quantum ad effectum, quod ipsemet ostendit, subiungens: „Quicumque comederint ex eo, contaminabuntur, quia sibi ad iudicium sument.” — Haec sententia adeo clara est, ut commentatione non indigeat.

In auctoritatibus Decreti et Gratiani enuntiatis paulo supra laudatis simoniaci sacerdotio indigni et suscepto honoris gradu privandi esse affirmantur. Hi autem, qui contemptis episcopis orthodoxis ab haereticis se ordinari permiserint, ad Ecclesiam redeuntes officio accepto fungi prohibentur. Simoniaci igitur et haeretici, quia sacerdotio indigni, prohibitione ecclesiastica comprehenduntur administrationem officiorum sacerdotalium eis impediendi. Simoniacis ergo et haereticis similis ac lapsis vel illicite ordinatis sacerdotibus prohibitio datur. Lapsi autem in ordine suo revocari prohibentur, ne rigor disciplinae canonicae frangatur.

Prohibitiones igitur illicite ordinatis datae regula rigoris disciplinae seruandi nonnumquam temperandi moderantur. Rigor autem disciplinae variis de causis relaxandus esse dicitur, et prohibitiones ecclesiasticas proprias causas habere, quibus cessantibus et ipsas prohibitiones cessare legimus.

Omnes igitur prohibitiones, quibus sacerdotibus quouis modo indignis, ut lapsis, vel ex monachis aut laicis saltu praepropero ordinatis, vel illiteratis et corpore vitiatis, vel interfecto-ribus, vel simoniacis, apostatis, aliisque haereticis, quia debitis animi, morum vel corporis dotibus destitutis, administratio officiorum sacerdotalium sive generali, sive speciali modo interdicitur, regula rigoris disciplinae seruandi interdum variis de causis relaxandi moderantur.

Harum ergo prohibitionum seu sanctionum etiam severissimarum quodcumque delictum puniendum atque variis nominibus appellata honestas seu probitas sacerdotis sacramenta ministrantis promovenda, non vero quaeuis iniuria, etsi leuissima, ipsi ordinis sacramento facienda obiectum est.

Praeterea severissimae illae sanctiones sive in criminosos sa-

cerdotes catholicos, sive in sacerdotes simoniacos vel haereticos latae tam multae sunt, ut ex eis de sacramento ordinis in forma Ecclesiae a quibusvis episcopis invalide conferendo aut valide collato amittendo concludere prorsus absurdum sit. Et hoc quidem eo magis, quod opinio de ordinis sacramento in forma Ecclesiae non conferendo vel semel valide collato amittendo et sive reordinatione, quae vocatur, sive simplici Ecclesiae iussu iterando nullum in auctoritatibus Decreti vel in enuntiatis Gratiani recte intellectis fundamentum habet.

Idem de aliis quoque sacramentis in forma Ecclesiae ministratis (excepta poenitentia, de cuius admodum speciali indole supra diximus, et matrimonio praetermisso, quod inquisitione nostra non comprehenditur) concludendum est.

Sed e contrario, prout ex auctoritatibus Decreti comperimus atque ipsum nomen rigoris disciplinae vel iustitiae seape ibidem adhibitum indicat, regulam huius rigoris servandi variis sanctionibus expressam, illis quoque severissimis non exceptis, solummodo ad disciplinam ecclesiasticam et ad regimen Ecclesiae referendam esse concludendum est.

Cum autem Gratianus huius regulae ecclesiasticae ad rigorem disciplinae servandum universe spectantis conscius eaque fultus Augustinum et Anastasium Papam II sacramentum ordinis ab haereticis etiam damnatis ministratum effectu suo non carere censuisse obiecerit, atque quomodo sententia Augustini in C. I q. I c. 97 relata, ne iste decreto Innocentii et concilii Chalcedonensis statuto contrarius videretur, intelligenda esset, explicaverit, huius obiectionis ratione habita sententiae Augustini, Innocentii, concilii Chalcedonensis, et Anastasii Papae nunc ex ordine examinandae sunt.